



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstiones Canonicae De Decimis

Friderich, Melchior

Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]

Quæstio II. Spoliatus decimis an ante omnia sit restituendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

& DD. in cit. Clem. Moneta l. c. n. 46. ac alij. Hac doctrina standum esse affirmat Card. n. 19. propter auctoritatem Glossæ, quam ait à nemine reprobari, tametsi ipse contrarium censeat esse verius.

650 Affert. IV. Si quæstio de decimis vertitur inter laicos, locum non habet decisio cit. Clem. Dispendiosam, nec causa est summaria. Ita tenuit Rota Rom. cit. decis. 14. n. 2. Idemque tenent Glossa & DD. in cit. Clem. dum asserunt, eam solum procedere de casu, quo decimæ debentur jure communi, uti debentur Ecclesiasticis; non verò, si debentur jure speciali, quo eas possident laici. Advertunt tamen cum Rota l. c. n. 50. & Card. n. 21. Moneta n. 49. Bened. Capr. l. c. n. 17. & Leo l. c. n. 31. causam etiam inter laicos agitaram esse summariam, si eas habent in feudum. Rationem dant: quia cum Ecclesiæ debeantur jure communi, & hæc eas legitimè transfulerit in laicos vasallos, gau-

dent isti eodem jure & privilegio, quo illa; nam qui injus dominiumve alterius succedit, jure ejus uti debet. l. 177. ff. de R. J. & reg. 46. eod. in 6.

Ex modò dictis consequens est, 651 quod tradunt Everhard in Topic. legal. loco à Tributo ad Decim. n. 4. Moneta n. 42. Barbosa l. c. ac passim alij, causam decimarum, quando summaria est, tractari posse in ferijs in favorem hominum introductis. Estque manifestum ex Clem. sape 2. de V. S. ubi dicitur, in causis summarijs procedi posse tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indulgarum. Ex eadem patet, quando de decimis summarie agitur, nec libello, nec litis contestatione opus esse, amputandas esse dilaciones, exceptiones ac appellationes dilatorias & frustratorias repellendas. Advocatorum & Procuratorum contentiones & jurgia, testiumque superfluum multitudinem refrenanda &c.

QUÆSTIO II.

Spoliatus Decimis an ante omnia sit restituendus?

SUMMARIUM.

652. Spoliatus non est restituendus ante omnia, si jus ipsi resistit & assistit spolianti.
653. Rationes in oppositum.
654. Laicus spoliatus decimis a

Parocho non est restituendus, nisi titulum edat.
655. Refellitur opinio contraria.
656. Nec restituitur laicus spoliatus, si Parochia est incorporata alteri Ecclesia. 657.

657. *Nec Monasterium vel Clericus à loci Parocho spoliatus, nisi fuerit in diuturna possessione.*
 658. *Etiam laicus spoliatus contra eum, cui jure communi decima non debentur, est restituendus.*
 659. *Multò magis Monasterium aut Clericus spoliatus.*

660. *Laicus spoliatus à laico semper est restituendus.*
 661. *Parochus contra Parochianos est manutenendus.*
 662. *Nisi sint in diuturna possessione non solvendi.*
 663. *Qui tamen raro legitime reclamant.*
 664. *Explicatur assertio.*
 665. *& seqq. solvuntur opposita.*

652 **Q**uestionis hujus solutionem difficilem reddunt Jura, ut videri potest, sibi contraria. Nam tam leges civiles, quam Canones asserunt, spoliatum ante omnia restituendum esse, etiam omni exceptione postposita. *l. si quis ad se C. ad L. Ful. de vi publ. l. i. §. si praedoff. Depositi. l. meminere C. unde vi. c. 1. 2. & ult. de Ord. cognit. c. In litteris & c. Conquerente de Restit. spol. Can. 1. & seqq. 2. 9. 2.* Contrarium tamen decidi videtur *c. 2. de Restit. spol. in 6.* sic enim ibi loquitur Bonifac. VIII. *Ad decimas, quas Canonici S. Nicolai se asserunt intra Parochiam Ecclesia Clerici possedisse aliquamdiu, & eis per eundem Clericum spoliatos fuisse, nequaquam debent restitui, nisi evidenter docuerint, quòdearum possessionem legitime assecuti fuissent, quia eas occupasse injustè verisimiliter praesumuntur, cum proveniant ex praedijs in aliena Parochia constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de jure communi ad eandem Ec-*

clesiam pertinere. Ex qua decisione plerique DD. hanc regulam statuunt, spoliatum non esse ante omnia restituendum, sed prius ostendi ab ipso debere legitimum possessionis titulum, si Jus commune ipsi resistit & assistit spoliati.

Sunt tamen nonnulli, qui hanc regulam non admittunt, eò quòd non benè deduci videatur ex *cit. c. 2.* ac alijs Juribus claris sit contraria. Nam 1. si restitutio spoliati non esset, quando jus assistit spoliati & resistit spoliato, tunc ideo, quia talis spoliatus verisimiliter praesumitur rem injustè occupasse. Ac hoc non sufficit ad denegandam restitutionem, quia praedone etiam est secundum rigorem juris restituendus, ut dicitur *c. 5. de Restit. spol.* idemque habetur *l. Colonus 12. & l. Cum fundum 18. ff. de acquir. poss.* & tamen de praedone non sola datur praesumptio, sed certitudo habetur, quòd injustè occupavit. Igitur per vim possessione dejectus, etsi notorium defectum tituli in proprietate habeat, adhuc restituendus

ruendus est odio spoliantis, jusque sibi ipsi dicentis contra *l. non est singularis 176. ff. de R. F. & l. si quis in tantam 7. C. unde vi.* ut præter alios fusè explicat Petr. Barbosa *ad l. si de vi 37. ff. de Judic. à n. 43.*

II. Siquis habens duas Ecclesias Parochiales priori ab Episcopo spoliatur, statim restituitur, licet non ostendat titulum, aut dispensationem, per quam plures Parochias simul retinere possit, ut habetur *c. licet Episcopus 28. de Præbend. in 6.* & tamen tali possessori manifestè Jus commune resistit juxta *c. Nonnulli de Cler. non resid. & c. de multa de Præbend.* Idemque Jus commune favet Episcopo spolianti, utpote ad quem de jure pertinet collatio vacantium Ecclesiarum. *can. omnes basilica 7. 16. q. 7.* III. In casu *c. Cum dilectus 2. de Ord. cognit.* quidam Nobiles fuerunt restituti contra Monasterium, à quo fuerunt spoliati castro, tametsi non negarent, castrum esse Monasterij. Ergo spoliatus restituendus est ante omnia, non solùm si datur præsumptio, quòd nullum titulum in re habuerit, sed etiam, si id manifestum est. IV. Quidam Clerici, qui non erant de Capitulo Ecclesiæ, spoliati à Canonicis quasi possessione juris eligendi, in eandem restituebantur, ut habetur *c. Cum Ecclesia 3. de Caus. poss. & propr. &* tamen jus resistebat spoliatis, & assistebat spoliantibus, quia jus eligendi competit solùm ijs, qui sunt

de gremio Capituli, non verò alijs. V. Spoliatus sua conjuge restituitur, tametsi opponatur consanguinitas & ipse non sit in possessione talis conjugij, utpote ob consanguinitatem invalidi. *c. literas 13. de Restit. spol.*

Assert. I. Quando laicus est spoliatus decimis à Parocho, non est restituendus, antequam titulum suæ quasi possessionis ostendat, vel quasi possessionem temporis jmemorialis. Ita teste Emman. Gonzalez in *c. 7. de Restit. spol. n. 13.* omnes Interpretes *ad cit. c. 2. eod. in 6.* deciditque sapius Rota Rom. cum in causa decimarum tum in matrimoniali, non dari manutentionem seu restitutionem, quando spoliato resistit jus, & assistit spolianti, ut testantur Aug. Barbosa in *votis decis. voto 54. n. 18.* & Pignatelli *tom. 4. consult. 35. n. 24.* Ratio patet: quia sicut Interdictum *unde vi* non competit ei, qui non possidet juxta *c. Ex parte 14. eod.* ita neque competere potest pro re, quæ non potest possideri, ut rursus docent omnes DD. & latè probant Menoch. *remed. 15. recuper. poss. à n. 433.* & Aug. Barbosa *l. c.* unde si laicus spoliatus petat restitutionem quasi possessionis juris decimandi, restituendus non est, non quasi injustus possessor sit, sed quia non est possessor, ut cum Barbosa & Mindano ex *c. causam 7. de Præscript.* observat Gonzalez *l. c.* vel, ut loquitur Covarr. *l. 1. var. c. 17.*

n. 6. quia laicus de se est incapax hujus juris, & sic non tantum contra se habet præsumptionem Juris communis (quam contra se habet etiam omnis illis, qui non est loci Parochus) sed insuper incapacitatem possessionis, quam sibi petit restitui, & sic quoad ipsum deficit principalis causa Interdicti *recuperande*, nisi constet de titulo privilegij (quo solo capax possessionis reddi potest) saltem præsumptivè ex immemoriali quasi possessione: etsi enim in possessorio opus non sit justificari titulum ultra possessionem (nam hoc sufficeret ad vincendum in ipso petitorio, ac idcirco regulariter requiri non debet in solo possessorio) allegatio tamen possessionis non sufficit, si huic jus restitit, seu si is, qui possessionem præterdit, ejus de jure non est capax. Dixi autem, saltem præsumi debere titulum ex immemoriali quasi possessione. Unde si constaret, laicum fuisse hætenus in immemoriali hujus juris possessione, foret etiam contra Parochum restituendus. Et quamvis hoc ultimum Interpretes non tradant, credo tamen, neminem refragaturum ex ijs, qui docent, ex tanti temporis possessione (saltem si accedat fama privilegij) legitimè præsumi, quod laicus iusto titulo, videlicet privilegio Ecclesie hoc jus obtinuerit, nisi contraria aliqua præsumptio obster. Ratio est: quia juxta *cit. c. 2. extraneus decimis à Parocho spo-*

liatus idèò restitui non debet, quia contra ipsum & pro spoliante est præsumptio: hæc autem ratio cessat, si pro spoliato est præsumptio iusti tituli, uti est ex illa immemoriali possessione juxta dicta n. 477. Igitur laicus spoliatus contra Parochum spoliantem nunquam restituitur, nisi constet de ejus titulo seu privilegio Pontificio, vel detentione immemoriali, & consequenter non sufficit quæcunque, quamvis diuturna, quasi possessio, si non sit immemorialis; quia juxta receptam omnium DD. sententiam hæc sola pro laico facit præsumptionem iusti tituli, qui quoad laicos est solum privilegium Pontificis vel absolute donantis decimas vel in feudum concedentis, non verò præscriptio, donatio à Parocho vel Episcopo facta &c. ut constat ex dictis *cit. n. 477. & 480.* Cæterum juxta decisionem Rotæ & communem DD. quam refert & sequitur Aug. Barbofa *ad c. 2. de Restitut. spol. n. 13.* procedit assertio etiam tunc, quando lite vel appellatione pendente laicus est spoliatus & per viam attentatorum agit, ut in pristinum statum reponantur, & omnia penitus revocentur.

Ex dictis consequens est, neutrum 655
quam sustineri vel practicari tutò
posse doctrinam Glossæ *in can. 1.*
14. q. 1. V. possideri. & cujusdam Bar-
tholomæi Brixinensis absolute as-
ferentium, laicum decimis spolia-
tum restituendum esse; nec opinio-

nem Prænob. D. de Clingensperg
assert. 31. de Decim. n. 2. tenentis,
 restituendum esse spoliatum etiam
 à Parocho decimatorem universalem,
 vel talem, quem aliunde constat
 non duntaxat aliquamdiu, sed
 longo tempore 10. vel 20. annorum
 fuisse in quasi possessione Decimarum.
 Obstat enim constans aliorum
 Interpretum doctrina; praxis ac
 stylus Curie & Ecclesie Romanæ,
 cujus privilegio sicut decimæ ad
 laicos pervenerunt, ita ad eandem
 pertinet decidere, quo jure eas
 concesserit, & quid in controversiis
 circa eas tenendum sit; ac denique
 ipsa ratio intrinseca. Cum enim
 laici, seclusà Ecclesie concessione,
 capaces non sint quasi possidendi
 jus decimarum, stat contra ipsos
 præsumptio, quòd legitime non
 possideant, quamdiu titulus non
 ostenditur vel verus, vel præsumptus:
 titulus autem præsumitur nequit
 ex detentione 10. 20. aut etiam
 plurium annorum, sed solum ex
 tempore immemoriali, ut tradit
 constans omnium DD. sententia,
 & patet ex dictis n. 477. & 480.

656 *Assert. II.* Si Parochia est
 incorporata Monasterio, Ecclesie
 Cathedrali vel Collegiata, aut
 Academia, restituendus contra eas
 non est laicus spoliatus, nisi constet
 de justo ejus titulo vel quasi
 possessione immemoriali. *Assertio*
 sequitur ex dictis: cum enim ob
 incorporationem factam Monasterium

quoad decimas censeatur loco
 Parochi, & tam contra Parochianos,
 quàm contra Episcopum & Vicarium,
 cui cura est commissa, fundatam
 habeat intentionem juxta dicta
 448. & 439. consequens est,
 quòd sicut contra Parochum non
 restituitur laicus, ita nec contra
 Monasterium.

Assert. III. Si Monasterium vel 657
 Clericus à proprio loci Parocho in
 quasi possessione juris decimandi
 turbatus & spoliatus fuerit, non
 est restituendus, donec titulum
 ostendat, vel tituli præsumptionem
 notoriè pro se habeat. *Assertio*
 patet ex *cit. c. ad decimas 2. de Restit. spol. in 6.* ubi hæc ipsa hypothesis,
 quam posui, habetur. Patet quoque
 ratio: quia Clerico alieno resistit
 jus, & assistit Parocho. Atqui si
 hæc resistantia juris datur ex parte
 spoliati & ex parte spoliantis
 assistentia, non conceditur restitutio,
 saltem in spiritualibus, ut ex *cit. c. 2.*
 tradunt communissimè DD. post
 Archid. Dominic. Panor. Bald. Alexand.
 Innocent. Socin. ac Aretin. apud
 Gabrielium l. 5. tit. de Restit. spol. *concl. 1. n. 122.* & Petr. Barbosa
 in l. si de vi 37. ff. de Judic. n. 131.
 Ut tamen Clericus extraneus, &
 qui Parochus non est, contra proprium
 loci Parochum restituatur, non videtur
 necessarium (quod plurimi absolute
 affirmant) ut constet de legitimo
 titulo, vel de immemoriali possessione,
 ex qua titulus præsumatur, uti
 requiritur in laicis:

laicis: sed sufficit, si longo tempore in pacifica possessione juris decimandi fuerit, ut sentiunt Fern. Valsq. *l. c.* Aug. Barbosa *in cit. c. 2. n. 8.* Laym. *ibid. n. 2.* Lud. Engel *tit. de Decim. §. 1. n. 4. & tit. de Restit. spol. n. 17.* Robert. König *eod. tit. de Rest. n. 13.* P. Jacob. Wex *rr. de Decim. contr. 4. §. 9.* Ratio est: quia licet Clerico, qui in aliena Parochia jus decimandi præten- dit, jus resistat, eo ipso, quod proprio loci Parocho assistit, non tamen ita resistit, ut secluso etiam privilegio sit incapax illud jus possidendi, sicut incapax est laicus; eo ipso quod Clericus illud potest præscribere, ut dictum est supra *n. 442.* Si ergo longo tempore fuit in pacifica possessione, non malè præsumitur, quod titulum aliquem legitimum habeat: uti post Panorm. *in c. 3. de caus. poss. n. 52.* & Francum *in cit. c. 2.* notat Laym. *l. c.* & sic tollitur præsumptio injustè occupatarum decimarum, propter quam *eod. c. 2.* spoliatis negatur restitutio. Idque indicasse videtur Pontifex *cit. c. 2.* dum dicit, Canonicos, quibus negandam asserit restitutionem, fuisse aliquamdiu in possessione; utique illam non negaturus, si fuissent diu in possessione. Illud saltem certum esse videtur, huic limitationi assertionis modò factæ non obesse illam Pontificis decisionem, cum è contrario faveant Jura supra adducta, quibus spoliato conceditur ante omnia restitutio. Quàm diutur-

na verò esse debeat possessio ad hoc, ut prævaleat assistentiæ Juris, quam pro se habet Parochus, & contra hunc sit restituendus possessor Clericus extraneus, difficile est determinare in casibus particularibus. Unde decidendum erit arbitrio Judicis. Cùmque in Jure longum seu diuturnum tempus sit decennium, saltem decennalis possessio continuata requiritur ad hoc, ut spoliato detur restitutio, Illud extra controversiam est, si actus possessorij sunt incerti, turbidi seu contradicci, vel interrupti, vel aliunde aliqua præsumptio sit contra extraneum, quod vi, clam, vel precariò possidere cœperit, vel locatas duntaxat habuerit decimas, manutendum esse Parochum, ut in simili ex pluribus Rotæ decisionibus notat Aug. Barbosa *p. 3. de Offic. Episc. alleg. 127. n. 40.*

Assert. IV. Si à Clerico vel Monasterio, cui Jure communi non debentur decimæ, spoliatus fuerit laicus, erit iste ante omnia restituendus. Ratio est: quia tunc solum negatur spoliato restitutio, quando ipsi resistit Jus, simulque assistit spolianti, uti post Glossam *in cit. c. 2. de Restit. spol.* Panorm. Ripa. Natta, Joan. Andr. Joan. Monach. Dominic. Gabrielium, Jasonem, ac alios tradunt Covarr. *l. c. & p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 5. n. 13. & 14.* Joan. Garcias *de Nobilit. Hispan. Gloss. 12. n. 8.* s. Petr. Barbosa *in l. 37. ff. de Judicys n. 131.* Navarr. *in c. accep- tæ de*

ta de Restit. spol. opposit. 10. n. 21. ubi ait, communiter à DD. sic intelligi illud c. 2. Etsi igitur in data hypothese jus resistat laico spoliato, quia tamen Clerico vel Monasterio spoliante non assistit, concedenda erit spoliato restitutio. Dicendum tamen videtur, hanc faciendam non esse, si notorium foret, quòd jus decimandi Clerico spoliante vel Monasterio ex privilegio, vel præscriptione competat; etsi enim Jus commune ipsi non assistat, assistit tamen jus & titulus extraordinarius, sicque procedit regula, quòd spoliato neganda sit restitutio, si jus ipsi resistat, assistat verò spoliante, quod à fortiori procedit in hypothese allatâ n. 656. nisi constet de laici spoliati privilegio vel quasi possessione immemoriali.

659 Assert. V. Si Clericus vel Monasterium, cui Jure communi non debentur decimæ, iisdem spoliavit aliud Monasterium vel Clericum, cui Jus commune pariter non assistit, spoliatus ante omnia restituendus est. Ratio patet ex dictis, præcipuè n. 657. ac à fortiori ex dictis n. 658.

660 Assert. VI. Laicus spoliatus decimis ab alio laico ante omnia est restituendus, tametsi spoliator contendat, jus decimandi ad se pertinere ex privilegio Pontificio. Hæc quoque assertio sequitur ex dictis n. 658. & tenetur à Guidone Papæ 9. 288. Fern. Valsq. l. 2. contr. c. 89.

n. 5. Covarr. l. 1. var. c. 17. n. 6. August. Barbosa l. c. n. 19. & in c. 7. de Præscript. in 6. cum Gutierrez ac alijs, estque communis DD. dum asserunt, tunc solùm restituendum non esse spoliatum, quando ipsi jus resistit, simulque assistit spoliatori, uti assistit Parocho & resistit laicis ac Clericis, qui non sunt Parochi loci, in quo decimas prætendunt. Cum igitur laico spoliato jus quidem resistat, non tamen assistat alteri laico spoliante, consequens est illum esse restituendum.

Assert. VII. Si Parochiani negant decimas, prætendendo præscriptionem, consuetudinem non solvendi, privilegium &c. manutendus in suo jure est Parochus, & restituendus, donec illi probent titulum, quem allegant: nisi sint in diuturna quasi possessione immunitatis. Ita tradunt communiter DD. estque sæpius ita judicatum à Rota Romana teste Pignatelli rom. 4. consult. 36. n. 24 & in casu Jurisdictionis ordinariæ (cui iste de jure decimandi Parochis competente omnino similis est, cum sit par ratio de Jurisdictione Episcopis competente & jure Parochorum) multoties decisum cum à S. Congreg. Concil. tum à Congregat. Episcop. & Regul. teste eodem Pignatelli rom. 2. consult. 26. n. 18. ac ab ipso SS. Pontifice c. Cum pers. n. 7. de Privileg. in 6. & c. 2. de Restit. spol. in 6. Ratio patet ex dictis: quia etiam in hoc casu jus assistit Parochis.

chis decimas exigentibus, & resistit Parochianis solvere reuenticibus. Accedit, quòd nisi manutentio concederetur Parochis, isti jus suum in petitorio multis litiis ambagibus repetere identidem cogentur, cum Parochiani ob negligentiam priorum Parochorum aut eorum indulgentiam, ac gratuitam remissionem, aut contumaciam debitorum facillè prætere exemptionem possent: quæ vexatio foret iniqua, cum Parochi jus, quod à SS. Canonibus ac ipso Jure naturali ipsis concessum est, deducere in iudicio deberent contra eos, quibus Jura resistunt & obligationem solvendi imponunt.

662 Addidi in assertione: *nisi sint in diuturna quasi possessione immunitatis*. Quam limitationem etsi DD. ferè omittant, addenda tamen videtur: nam posse Parochianos in hac quasi possessione esse, constat ex eo, quòd immunitas à solvendis decimis acquiri consuetudine & præscriptione potest, juxta ea, quæ supra tradita sunt à n. 260. & 291. posito autem, quòd capacitatem possidendi habeant, & in possessione actu sint & quidem longo tempore, non verò Parochus, manuteneri iste contra illos non debet, cum penes ipsum non sit possessio, in qua manutendus foret. Neque enim in tali casu præsumptio, quòd sit in possessione, pro ipso stat, quia præsumptio quoad possessionem exemptionis non obstat laicis, sicut

obstat, quando non solam exemptionem, sed ipsum jus decimandi prætendunt, ut dixi n. 654. Et quamvis Jura etiam quoad exemptionem resistant, non tamen tantopere resistunt, quantum resistunt quoad jus decimandi, ut patet cum ex dictis n. 294. tum ex eo, quòd etsi laici secluso Ecclesiæ privilegio juris decimandi capaces non sint, sunt tamen capaces exemptionis. Hæc tamen non procedunt, si præter præsumptionem communem, quæ de Jure est contra Parochianos, contra ipsos pugnet alia specialis, v.g. quòd prior Parochus decimas permiserit solum ex benevolentia, vel quòd ad certos annos aut suam vitam cum iisdem transegerit, aut illas quidem petierit, nec tamen obtinere potuerit &c. tunc enim illa præsentia immunitatis possessio contra decimatorem non proderit, ut in simili dixi supra n. 481.

Univerſim circa oppositionem, 663 quæ Parochiani recusant dare decimas prætendendo legitimam exemptionem, notandum est, ratio illi locum esse posse, saltem si in petitorio conveniuntur. Nam vel integra communitas consuetudinem non solvendi & vi hujus se liberam ab onere decimarum esse prætedit? Et tunc ostendere debet, quòd ab annis 40. & non minori tempore decimæ solutæ non fuerint, ut constat ex dictis n. 283. vel præteditur ab uno aut pluribus præscriptio

scriptio contra decimatorem legitime completa? Et tunc præter bonam fidem ac alia ad præscriptionem requisita verificari debet exemptionis possessio, qualis requiritur in servitutibus negativis, videlicet ut Parocho petenti decimas, hæ fuerint negata, & is acquieverit, ut post Rotam Rom. aliorumque communem notant Card. de Luca de *Decim. discursu* 14. n. 14. & d. f. 15. n. 10. ac Antonelli de *Tempore legali* l. 2. c. 37. n. 12. & patet ratio: quia aliàs omisio exemptionis est actus meræ facultatis; constat autem per actus meræ facultatis non præscribi. Jam verò repugnantia ad factam à Parocho postulationem & ejusdem patientia, seu, ut loquuntur, acquiescentia, simulque bona recusantium fides, rarò aut nunquam ostendi poterit, nisi simul ostendatur aliquis titulus, v.g. privilegium, compositio auctoritate Superioris facta, præscriptio &c. Nam Parochiani plerumque solùm prætendunt, certis annis ex hoc vel illo fundo solutas non esse decimas: per hoc autem (ut nihil dicam de bona fide, quæ vix aderit, nisi titulus habeatur) nondum ostenditur quasi possessio exemptionis, cum omisio solutionis potuerit esse facta, & sæpissime fiat, ex alijs causis, & per actus meræ facultatis, dum v.g. prior Parochus ex mera gratia & benignitate jus suum profecutus non est, & singulis annis vel gratis remisit,

vel vi transactionis ad aliquot annos aut vitam suam &c. qua ratione nulla exemptionis possessio contra successorem inducta fuit, quia antecessor præjudicare suis successoribus nec voluit nec potuit, ut observant Card. de Luca l. c. & Suar. c. 12. n. 15. Et hæc esse causa videtur, quòd communissima DD. generaliter statuit, quando jus uni specialiter assisit & resistit alteri, uti contingit in causa decimarum, jurisdictionis &c. necesse esse, ut pars illa, quæ Jus commune adversus se habet, prævalere tamen vult quoad manutentionem vel restitutionem, titulum iustificet, aut saltem titulo ex temporis immemorialitate præsumpto se tueatur, eò quòd absque hujusmodi titulo actus, qui deberent possessionem generare, plerumque sint dubij valde & incerti: ad tollendam autem Juris assistentiam, quæ v.g. Parocho quoad decimas aut Episcopo quoad jurisdictionem favet, omnino necessarij sunt actus nullo modo turbidi incertique, sed certi & clari in ordine ad effectum possessionis, debetque ista esse constans, inviolata, inconcussa, hoc est, sine contradictione & reprobatione, ut post Jasonem, Ripa, Ægidium, Barbatium, Præpositum, ac alios, variisque Rotæ Rom. decisiones, loquuntur Gutierrez l. 3. *pract.* 9. 14. n. 83. & Aug. Barbosa p. 3. de *Off. Episc.* alleg. 127. n. 40.

Ex

664 Ex dictis consequens est I. quòd manutenendus sit Parochus, tametsi Parochiani obtendant aliquos actus possessorios, nisi clarè constet, per hos sublatam esse priorem Parochi possessionem: quia quando duo litigant de possessione retinenda, is obtinet, qui probat antiquiorem possessionem juxta *c. licet causam 9. §. Ex præmissis de Probat.* aut cujus possessio insuper titulo est munita. Consequens est II. manutenendum esse novum Parochum, tametsi, quando decimas exigit, quidam Parochiani dare renuant, eò quòd dicant, etiam alios renuere, vel antecessorem non cum tanto rigore eas exegisse, vel ex hoc illòve fundo antecessori nunquam fuisse solutas, vel se pecunias pro iisdem pendisse, vel facillè fuisse remissas &c. Ratio patet: quia cum Parochus pro se habeat præsumptionem & Juris assistentiam, idcirco Parochianis incumbit onus probandi, quòd per ipsorum actus possessorios Parochus amiserit possessionem: hæc autem amissio non satis probatur ex solis illis, quos allegant, actibus, cum sint de se indifferentes, & ferè ab ijs etiam exerceri soleant, qui sunt in mala fide & ad decimas se nõrunt obligatos. Consequens est III. non sufficere, si Parochiani exemptionem prætendentes solum allegent consuetudinem, privilegium, præscriptionem, vel transactionem; sed ne-

cessè esse ista probari, & quidem non per conjecturas & dubias præsumptiones, sed per probationes veras ac proprias, plenas & convincentes, cum absque his suà possessione & jure Parochus æquè parum deijci queat, ac alius legitimus possessor aut dominus: quæ probationes cum ordinariè afferri nequeant, idcirco, ut dixi, DD. absolute & sine limitatione ferè afferunt, contra Parochianos manutenendum esse Parochum.

Dissolvenda nunc sunt, quæ n. 661 653. allata sunt, & contra *cit. c. 2. de Rest. spol.* ac tres primas assertiones pugnare videntur. Ad 1. & tametsi detur, prædonem etiam notorium restituendum esse (quod tamen Innoc. Dec. Imol. Alex. alique plurimi negant apud Gabrielium *l. 5. tit. de Rest. spol. concl. 1. n. 7. ac n. 110.* & Petr. Barbosa *ad l. 37. ff. de Judicijs n. 125.*) id tamen solum procedit in profanis; non verò, si agitur de re vel jure sacro, quale de se est jus decimandi: nam in restitutione spiritualium vel quasi, locum habet decisio *cit. c. ad decimas 2. de Rest. spol.* ita ut si notorium sit verè vel præsumptivè, spoliatum esse injustum possessorem, & è contrario notorium sit, spoliatorem esse dominum rei, impediatur restitutio, uti cum Imola, Hippolyto, aliisque plurimis notant Joan. Garcias *rr. de Nobilit. gloss. 12. n. 85.* Paul. Castr. *l. 1. consil. 401. n. 5.* Ant. de Matth. *ad reg. spoliat. ante om. est*

est restit. fallent. 16. n. 49. V. venio. Barbosa l. c. à n. 133. Gabriel. l. c. n. 10. & conclus. 5. n. 127. Mascard. de Probat. concl. 1329. à n. 1. quia spiritualia vel quasi nequeunt possideri sine titulo canonico reg. 1. Fur. in 6. & ideo, qui eorum restitutionem petit, probare debet titulum saltem coloratum, juxta Gloss. communiter receptam in Clem. un. de caus. possess. quem si non ostenderit, censetur nunquam possedisse, & per consequens non est restituendus. cit. c. ad decimas & c. constitutus 8. de Filijs Presbyt.

666 Ad 2. R. I. cit. c. 28. de Prabend. in 6. solum asseri, quod beneficium non debuerit conferri alteri, nisi prius vocato & audito ejus possessore; non verò, quod hic, si spoliatus est, restituendus sit ante omnia, licet non alleget titulum saltem coloratum. Non debuisse in hypothese illius capituli beneficium conferri alteri nisi vocato prius ejus possessore constat ex textu, dum dicitur cum tibi forsitan jus possit competere retinendi.

R. II. Cum Aug. Barbosa de Offic. Parochi c. 28. S. 2. n. 44. tamen Clerico, qui detinet Beneficium absque Canonica Institutione, vel retinet primum post pacificam possessionem secundi cum primo incompatibilis, resistat jus reg. 1. Fur. in 6. & c. 3. de Institut. solum tamen resistit quoad proprietatem Beneficij, non verò etiam quoad ejus possessionem: hæc

enim licet injusta; vera tamen & legalis esse potest, cum Clericus ejusdem sit capax, ac propterea eadem dejectus restituendus est, antequam ostendat titulum canonice institutionis, juxta c. In literis 5. de Rest. spol. sicut, ut ibidem dicitur, restituendus est prædo, quamvis proprietatem non habeat, quia res, quam possidet, talis est, ut ponitur, cujus possidendæ est capax. At verò laicus absque titulo ne quidem possessionis decimarum capax est. Unde merito tenetur prius titulum, saltem præsumptivè ex temporis immemorialitate, ostendere, antequam restituatur, prout dictum est supra n. 654.

Ad 3. R. illo c. 2. de Ord. Cognit. 667. agi de re merè profana & seculari: in rebus autem profanis, restituendum esse spoliatum, non verò in spiritualibus aut quasi, constat ex paulò antè dictis n. 665.

Ad 4. R. Clericos illos extraneos, 668 & qui non erant de gremio capituli, ac spoliati fuerant quasi possessione juris eligendi, ideo debuisse restitui, etiam antequam docerent de suo jure eligendi, quia etsi Jus assistat solis Canonicis, resistat verò alijs, non tamen his ita resistit, quin possidere possint jus eligendi, illudque præscriptione ac consuetudine obtinere. Hinc in casu cit. c. 3. de Caus. possess. & propr. illi Clerici extranei, qui sua quasi possessione spoliati fuerant, merito restituebantur, cum sæpius antè

T c ele-

elegerint non tantum permittentibus Canonicis, sed etiam ad electionem eos vocantibus, ac idcirco pro se habebant præsumptionem possessionis bonæ fidei. Alia longè ratio est de laicis jus decimandi prætendentibus, cum istud secluso privilegio Ecclesiæ ne quidem possidere possint *c. Causam 7. de Præscript.* nec ipsis patrocinetur scientia & patientia, imò nec concessio Parochorum, & Episcoporum, aliorumve Prælatorum SS. Pontifice inferiorum. Restitui igitur non debent, nisi ostendant titulum, videlicet privilegium Ecclesiæ, saltem præsumptivè ex detentione immemorabili, juxta dicta *n. 654. & seqq.*

669 Ad V. R. Conjugem spoliatum conjugè restituendum esse, tametsi impedimentum consanguinitatis opponatur, quia spoliato ob contractum matrimonialem in facie Ecclesiæ inquit assistit jus, & resistit spolianti. E contrario si laicus spoliatus est decimis à Parocho resistit jus spoliato, & assistit spolianti.

Accedit, quòd juxta *cit. c. 13. de Restit. spol.* restitutio non absolute faciendâ sit, videlicet quoad thorum & mensam, sed solum quoad mensam. Quin si plena fieret restitutio, uti faciendam esse statuisse videtur Lucius III. *c. Ex conquestione 10. de Restit. spol.* ea tamen effectum habere non posset quoad thorum, si adest impedimentum dirimens, cum etiam beneficio restitutionis obtento, is, qui consanguinitatis habet notitiam, debitum conjugale nec exigere nec reddere vel tenere vel possit, ut dicitur *cit. c. 13.* Hinc per restitutionem conjugis spoliati nihil contra conscientiam fit, vel contra jus conjugis impedimentum objicientis & spoliantis. E contrario per restitutionem laici decimis spoliati sæpe foveretur peccatum, sæpe læderetur jus Ecclesiæ & Parochi spoliantis: cum facile fieri possit, ut laicus nullo justo titulo decimas colligat, nec dubitandum esse videatur, à multis ita colligi.

QUÆSTIO III.

An in Causa Decimarum admittenda sit appellatio?

SUMMARIUM.

670. *Varia opiniones proponuntur.*

671. *Appellatio negantium deci-*

mas non habet effectum suspensivum.

672. *Nec illorum, qui præcedunt*